


Hartzheim, Josephus

INSCRIPTIO[N]
HERSELLENSIS
UBIO-ROMANÆ
EXPLANATIO

AD

EXCELLENTISSIMUM D.

D. JACOBUM
S. R. I. L. Baronem
WALBOT
de BASSENHEIM
D. in Bornheim &c. &c.



Coloniæ Augustæ Agrippinensium

Typo Viduæ Caspari Drimborn & Filii
in Platea lata 1745.
Prostat in Officina Joannis Engelert bey der Unnau

Superiorum Permissu.



Fig. 1.


Cantantes sublime ferent ad sydera cygni

EXCELLENTISSIME DOMINE.

Habes Inſcriptionis, quam primus mihi indicâſti, & commentandam dediſti, Explanationem, dignam criſi TUA *exquiſitiſſimâ materiem, & Scientiæ militaris Patriæ (quæ Hiſtoriæ domeſticæ nobilis portio eſt) ampliandæ campum.*

Si autem Inſcriptionis ſenſum invitâ Minervâ venatus ſum, patere conatum hunc in eruderandis reliquiis Antiquitatum Ubiarum proſtare felicioribus ingeniis ſtimulandis: interim tenue hoc Xeniolum accipe, & Kalendas Jani CIↃCIↃCCXLV. *vicenis & tricenis multis cumula. Vale Tricoronatæ Gymnadis noſtræ olim Decus, nunc Præſidium.*

Fig. I.

MANIAEINFER
TEMHISPANIAECITER
TFDVBITATVSSTRATEIV
MALPINIVSFIRMANVS
PAELIVSMARINVS
PIVLIVSMEMORI
ƆƆLEGIMINER
PRAESIDISANCTISSIMO

INSCRIPTIONIS HERSELLENSIS EXPLANATIO.

PRÆFATIO



Apidis Marmorei, quem vicus Hersell XII. passuum M. Coloniâ Agrippinensium & III. M. P. Bonnâ dissitus, nobis asservavit, explicationem daturi, colligimus, quæ ad ejus notitiam uberiorem sufficit Provincia Germaniæ inferioris, tùm ex editis, tùm ex ineditis ad hunc diem monumentis lapideis, quò plenior rei militaris sub Romanorum Imperio cognitio patriæ historiæ Studiosis pateat. *Intentio explananda Inscriptionis,*

Existit hic Lapis in veteris Ecclesiæ Hersellensis (cujus ruinam prævertere dum allaborat Parochus vigilantissimus suæ, & suorum saluti providens, dejecit malè cohærentem, & novam instaurat) muro

conſpicuus, nec tamen ab diligentiſſimis collatoribus Antiquitatum Romanarum Gelenio, Crombachio, Brœlmanno, Turckio, deſcriptus fuit; extet licet juxta viam publicam Romanis itinerariis decantatam, hæc Eccleſiola & Rheni littori celebratiſſimo incumbat. Fors hac noſtrâ opellâ excitabuntur alii hujusmodi theſaurorum cuſtodes, ſed pretii ignari aut iniqui æſtimatores. Ante omnia ipſam επιγραφην exhibitam vide Figurâ I.

Lapis eſt ex marmore nigro, quale in Ducatu Montenſi oppoſitum Rheni littus ambiente copioſum offertur in vicis Lintlar. Ratingen, &c.

Facies adverſa & averſa. Alta eſt pedes duos Colonienſes, & decem uncias, lata duos pedes & unam unciam: latera parallela lata ſunt tres pedes Colonienſes; altitudo eadem: Inciſura perpendicularis eſt unius pedis & Seſcunciæ, inciſura horizontalis eſt ſeptem unciarum.

§. I. *Comparatio pedis Colonienſis cum Romano & Druſiano.* HUjus menſuræ notitia, ut omnibus eruditis plana ſit; exæquo pedem Colonienſem pedi Romano antiquo à Villalpando. Tom. III. *Apparatûs Urbis ac Templi.* deſcripto & delineato: quæ æquatio poſt multorum Annorum tentamina accuratione ſingulari ſuſcepta mihi videtur in eo poſita. Primó divido pedem Romanum in duodecim uncias, & in Sedecim pollices: ſingulas uncias computo duodecim

cim lineas, pollicem singulum computo novem lineas. His datis dico pedem Romanum majorem esse pede Coloniensi uno pollice vel novem lineis; (idem affirmat Illmus ÆGID. GELEN. *Hierotheca cap. II, pagina XII.*) minorem autem pede Drusiano sexcunciâ; igitur pes Coloniensis modernus pede Drusiano minor erit tribus pollicibus Romanis: delineatio *Fig. I.* exacta est ad pedes Colon. modern.

Redhibendus est hoc loco *Pes Drusianus* in nostrâ Germaniâ, & Belgicâ olim usitatus, quem Hyginus *de Limitib. constit. pag. 210. edit. Wil. Goes.* nobis servavit descriptum, & comparatum pedi Romano, qui & *Italicus* & *usualis*, idem est judice Gothofredo clarissimo Commentatore Legis III. de Tironum staturâ. Tit. XIII. Lib. VII. *codicis Theodosiani*, Item dicitur in Germania(*Hygini verba sunt* in Tungris PES DRUSIANUS, qui habet monetalem pedem & sescunciam.

Per *monetalem* pedem intelligit Italicum, vel usualem Italiæ: inde dictum, quia modulus hujus pedis in æde MONETÆ Romæ asservabatur, ad quem mensurarum publicarum fides exigebatur.

Pari Stylo Capitolinus in Maximino cap. 4. Amphoram vocat *capitolinam*, eo quod narrante Fannio in carmine de *Ponderibus & Mensuris.*

Amphora fit cubus, quam, ne violare liceret,
Sacravêre JOVI Tarpejo in monte Quirites.

Comparavi etiam pedem cubicum Romanum, cum cubico pede moderno Agrippinensi, & deprehendi cubum Romanum capere amphoram Romanam unam; sed amphoras Colonienses XX, zwantzig Zapfmasen Cöllnischer aich, contra cubum Coloniensem capere duntaxat 18. amphoras nostrates achtzehn Zapfmasen. Unde conficitur pedem cubicum Coloniensem excedi à Romano, uti 18. exceduntur à vicenario.

Incisura & rasura trium primorum versiculorum, quo malo infortunio facta sit, quis divinet? conjicio Euclionem inficetum solido eo lapide usum fuisse, ad muri cujuspiam prominentis proceres ei injiciendos, & quia calx non satis antè inhærescebat litteris, profundius effodit Marmor, ut incrustaretur firmiùs. Ut ut sit, caput inscriptionis amisimus, nomen nempè præsidis, ejusque officia, aut cognomina, cui hic lapis dicatus est. An id autem erui possit ex reliquis infra videbimus.

Tentemus nunc explanationem.

MANIÆ INFER.

§. *I.* *Maniæ infer. quod significet?*

INdubitanter lego P.P. *GERMANIÆ INFERieris* nam inter Provincias cæteras

teras orbis Romani sunt quidem, quæ in *MANIA* desinunt, uti Cenomania, septimania: sed eæ non fuêre divisæ in sup- & inferiorem, quare intervallum hoc expleo P. P. *GER.* lege: Provinciarum Germaniæ inferioris, item Hispaniæ citerioris, *præfecto* vel *proconsuli* vel *Legato Augustali*: nam his tribus titulis fulsêre Rectores Germaniæ inferioris. Partitio ipsa Germaniarum in inferiorem, ac superiorem, sive borealem, ac meridionalem, sive secundam & primam, confirmato jam Augusti imperio, cæpit A. V. C. DCCXXVI. Dio etiam Libro LIII. recitat Provinciarum divisionem Augustum inter & S. P. Q. R. factam, ubi *Celtica*, quæ German. sup- & inferiorem, ut ait hic Dio, complectitur: Augusto cessit. Sub Tiberio & Claudio notissima evasit. Jam Germaniæ inferioris mentio in monumentis marmoreis frequentissima apud Janum Gruterum extant hæ: *editionis anni 1602. Commelino Typo. paginis.* CCXLV. 8 CCCCII, 6. DXV. 5. & seq. DXXXIX. 7. MCVIII. 5. CCCCII. 6. Nec pauciora vestigia sunt apud eundem Gruterum Provinciæ Hispaniæ citerioris: vide paginas CCLXXVII. 7. CCLXXVIII. 1. 3. CCLXXXI. 7. CCCXLVI. 1. CCCCLXXIIII. 5. MXCI. 6.

§. III. *Quis præses Germaniæ infer. & Hispan. citerioris?*

CUi autem obtigerit eodem anno præfectura utriusque Provinciæ Germaniæ inferioris, & Hispaniæ citerioris, id divinandum, cùm inficeti Fabri expunxerint nomen viri, aliosque forsan magistratus ab eodem gestos.

Marcus Agrippa auctor civitatis nostræ cis rhenum ædificandæ ab Augusto soecero suo jam collega imperii adlectus fuit Anno V. C. DCCXXXVI. teste Dione L. LIIII. Agrippa, qui prius ex Sicilia „ad gubernandam urbem fuerat missus, „galliis tum administrandis est præfectus, „tumultuabantur enim invicem galli, & „à Germanis infestabantur, iis motibus „sedatis in Hispaniam transiit. Nempe eo-„dem tempore utriusque Provinciæ Ger-„maniæ & Hispaniæ, sed utriusque universæ præfecturam gessit.

Equidem Dio Libro LIII. post narratam divisionem Provinciarum graviter affirmat, NUNC (Anno V.C. DCCXXVI.) „earum Provinciarum quamvis suum ha-„bere præfectum, cum antiquitus binis „vel ternis singuli præfuerint, sed hic mos perpetuus non fuit, extantque apud Gruterum innumera exempla Præsidum, & Præfectorum, Proconsulum, qui post hanc ætatem, duas, tres, quatuor Provincias simul administrarunt.

Verùm Agrippæ jam Augusto non solum ob filiam Juliam, sed ob communi-

catam

catam tribunitiam poteſtatem conjunctiſſimo mirum non eſt imperium penè par Auguſto in omnes Auguſto reſervatas Provincias tributum fuiſſe Interim hanc Epigraphen Agrippæ poſitam fuiſſe nequaquam credo duabus de cauſis infra adducendis: & de præſidis nomine inveniendo deſpero.

T FL D U B ITA T U S STRATEJU.

§. III. T. Fl. Dubitatus Stratejus explanatur.

Litteræ hæ ſapiunt ſcripturam trium primorum ſæculorum: Vacutum ubique, á quo rotundum poſteri diſtinxerunt: Nullum ſpatium inter voces ſingulas, ſed æquali intervallo litteræ omnes ſive unius, ſive diverſarum vocum diſtant & connectuntur. Nonnulli eruditi, qui aderant, volebant poſt T. punctum inciſum lapidi: ſed ſi ab ſculptore & non caſu temporisve edacis injuria punctio ſimilis eveniſſet, profectò poſt ſingulas voces punctum inſculptum cerneres. Nunc non niſi apud duas, aut tres litteras, quare vel lapidis vitio vel cariei vel caſui fortuito hæc puncta adſcribo. Lego autem hoc pacto ſextum hunc verſum.

Titus Flavius Dubitatus Stratejus.

STRATEJUS eſt proprium nomen

personæ. *DUBITATUS* familiæ. *TITUS FLAVIUS.* Prænomina Romanis familiarissima & forte ab patronis assumpta, aut data.

In voce. *STRATEJUS* : Credebam sculptoris errorem, qui *J.* vice *G.* sculpserit, græcaque foret vox στρατηγος latino charactere *Strategus* scribenda: sed malo accipere latinam vocem derivatam à Strato vel Stratör vel Stratus, cujusmodi formæ *Pompejus*, *Vultejus*, *Fontejus*, quæ latina esse nemo inficiatur. Quare sculptorem absolvo impactâ inscientiæ notâ.

§. 4. *M. Alpinius Firmanus exponitur.*

SEptimo versiculo occurrunt hæ voces. MALPINIUSFIRMANUS lego Marcus Alpinius Firmanus. Et expono: *Firmanus* est viri nomen, *Alpinus* gentis, *Marcus* prænomen ascitum vel à majoribus, vel à benefactore vel à patrono. Alpinæ Alpinulæ nomen servat lapis apud Janum Gruterum. pag. LXXXII. 9.

Alpinus Montanus Trevir. erat. Præfectus cohortis, à Vitellii partibus stabat, apud Tacit. Histori. 1. c. III. apud Broverum in proparasceve annal. Trevir. c. XIII. p. 47. *primæ editionis.*

§. 5. *Pælius Marinus explanatur*

OCtavum versum lege PAELIUS MARINUS. Publius Ælius Marinus.

rinus. Ubi Marinus personæ nomen est, refert & Broverus lapidem in proparasceve annalium Treverensium p. 74. *pri. edit.* in quo legis Maternium Marinum non ignota nostro climati nomina, at Ælius videtur ab Ælio Augusto tributum huic liberto nomen, ut constat ex lapide Romæ retro Pantheon asservato, & ab Grutero descripto. DCIIII. 9. Eccum eum opportunissimum huic loco illustrando.

D. M.
FLAVIÆ VALENTINÆ
P. AELIUS AUG. LIB.

MARINUS.

UXORI SANCTISSIMÆ
ET SIBI ET SUIS POSTERISQ.
EORUM FECIT.

DUbitari non potest eundem *Marinum* in utroque lapide sculptum fuisse, cum utrumque prænomen respondeat, & proprio nomini jungatur, tum doceamur fuisse *Libertum*, qui Herorum nomina adsciscere gaudebant. Quare Ælius fuit utique Augustus ille, cujus Libertus erat Marinus: atque habemus quatuor ÆLIOS AUGUSTOS, Nervam, Trajanum, Hadrianum, & Antoninum Pium, forte ex Ælio Seja-

no prognatos, aut adoptatos, ab anno æræ Dionyſianæ XCIII. Nervæ primo, ad annum CLX. Antonini Pii poſtremum; quo interim tempore, aut paulo poſt utrumque lapidem ſculptum fuiſſe conjicio.

Eadem pagina pluribus AUGUSTI Libertis cognomen PUBLII ÆLII datum exhibet: inſcript. 4ta extat P. ÆLIUS HERMES. inſcript. 7. P. ÆLIUS. AUG. LIB. PANTAGATHUS. inſcript. 11. P. ÆLIUS AUG. LIB. PHOEBUS. unde ſuſpicor benè nummatos & rerum potentes fuiſſe hos Libertos ÆLII AUGUSTI, quorum tot monumenta ſibi & conjugibus, & liberis poſita ſuperſunt. Nonus verſus hic eſt:

§. 7. P JULIUS MEMORI, lego publius Julius Memorius, ubi Memorius repreſentat hanc ſingularem perſonam; Julius gentem, Publius cognomen variis e cauſis naſci ſolitum.

§. 8. DEcimus verſus contractior, ſed fæcundior uti obſcurior Ↄ Ↄ LEGIMINER. lego: Centuriones legionis primæ Minerviæ.

Duo primo elementa interpretor: Ↄ Ↄ veluti initia vocis *Centurio*. Gruterus in indi-

indice, quo notas abbreviatas Interpretatur, affirmat. E. LEG. significare Centurionem Legionis, nisi forsan inversum Ɔ optionem, aut legatum significet Centurione inferiorem. Confirmor & ÆGeleni interpretatione allata pag. 336. de col Agripp. mag. IƆ LEG. XXXVVVS. hanc enim statuit. *Primus Centurio Legionis trigesima Vlpia Victricis votum solvit.* Ubi Ɔ inversum Centurionem significat.

§. 9. *Legio prima Minervia* prorsus legendum est. Omitto hic vulgata de Legionibus Romanis, quæ ea Historiographis Dione Polybio, Tacito, Livio & ex iis, qui professi sunt militaris rei scientiam. Vegetio, Frontinio, Modesto. Tum Recentioribus Steinvvecho, Lipsio, &c. referuntur. Cujusmodi sunt Legionum ordo, incrementa numerus, arma, distributio; Illud huc pertinet Legionibus his duntaxat nomina indita fuisse primum à Numero; & hanc *primam*, illam *secundam*, istam *decimam*, *tricesimam*, cognominatam.

§. 10.

Unde auctarium Titulorum Legionibus tributer.

DEinde variis Legionibus vario tempore, variâ occasione, epitheta honoris ergo adjecta fuisse, quæ ex

Cippo gemino Romano deſcripta exhibent Gruterus pag. DXIII.

Lipſius pag. 349. in *Comment. Tacit.* II. Hiſtor. & in *Analectis ad militiam.* pag. 262. Stenvveichus in Comment. Vegetii.

Unde liquet quibuſdam nomen creviſſe ab Auguſtis, cujusmodi ſunt. II. III. VIII. AUGUSTÆ cujus meminit Lucas *in Hiſtor. Act. Apoſt.* XXVII. ἑκατοντάρχῃ σπείρας σεβαστῆς. XXX. ULPIA. IIII. FLAVIA XI. CLAUDIA. II. TRAJANA. & apud Harduinum. PIA FELIX. De nummis Auguſtorum paginâ 849. *Hiſtor. Auguſtæ.*

Aliis nomen ab eventu vel facto additum fuit. Hujus generis ſunt VI. & XX. VICTRIX. I. & II. ADIUTRIX. XII. FULMINATRIX. VII. XIII. & XIIII GEMINA, quod ex duabus vel attritis vel imminutis Legionibus una conflata fuerit ut Dio Caſſius docet Libro. LV.

VI. FERRATENSIS, quaſi à ferreo robore. X. FRETENSIS. Freto adſita in hibernis, ut Lipſius conjicit *in analectis ad militiam.* p. 268.

A natione nactæ ſunt nomen Legiones variæ: I. Parthica, & Italica, cujus Centurionem Cornelium laudat, *Lucas ad Act.* XLVIII. in Cæſarea Palæſti-

næ

næ urbe maritima tunc agentem c. xi. *Actuum Apostol.*

III. GALLICANA. V. MACEDONICA. IV. Schythica.

III. CYRENENSIS. XIIII. GERMANICA apud Lipsium in Tacit. XII. Annali. pag. 195.

Demum à Diis nomen sortitæ sunt.

I. MINERVIA. XV. APOLLINEA. MARTIA. Verùm hic lapis capitolinus collatus nostro typo, & aliis tum nostratibus, tum aliorum agrorum monumentis antiquis materiam criseos uberioris suppeditat.

" Primùm quo sæculo columella Ro-
" mana gemina posita fuerit?

" Secundùm. Num ex eo conjici pos-
" sit, quando hæc nomina legionibus
" accesserint?

" Tertium. Quæ legiones ex his fue-
" rint in Germania inferiore, & qui-
" bus annis?

" Hinc enim deveniemus ad ætatem
" hujus inscriptionis Hersellensis.

§. II. *Quando Cippi Capitolinus & Maffeius sculpti?*

LApis Capitolinus & Maffeius exeunte 2do, & ineunte tertio sæculo positus fuit, in eoque quotquot ad eam diem ab AUGUSTO extitêre legiones, insculptæ fuêre non eo sensu, quasi primo secundóque sæculo continuò & simul omnes, & eo nomine, quâ hone-

ſtate viguiſſent, ſed quod ante medium, tertium ſæculum hæc nomina meruerint.

Appianus, qui ſub Gratiano, & Valentiniano ſcribebat miles ipſe Romanus, etſi Græcus natu, & militari dialecto aſſuetus: Pompeii & Cæſaris legiones enumerans. L.II. *de bellis civilibus* pag. mihi 246, ſic effatur.

" Erant autem ad id temporis) Anno V.C. DCC. ante Chriſtum, LIII.
" Cæſari decem Legiones, & Equitum
" Gallorum decem millia, Pompeio
" verò quinque legiones, quæ ex Italia
" cum equitatu ſuo trajecerant, & duæ
" *parthicæ* Craſſi exercitus reliquiæ, &
" pars quædam eorum, qui Gabinii du-
" ctu in Ægyptum irruperant: omnibus
" enumeratis undecim legiones Italici
" generis, & equitum circiter ſeptem
" millia. Præterea auxilia ex Jonia,
" Macedonia, Peloponeſo, Bæotia,
" & Cretenſes Sagittarii; funditores
" Thraces, jaculatores Pontici; ad-
" huc Galli quidam Equites, & alii
" Gallatæ, Commagenique miſſi ab
" Antiocho, Cilices & Cappadoces &
" quidem ex minore Armenia, Pam-
" philique ac Piſidæ, quibus non om-
" nibus ad prælia, ſed ad præſidia,
" munitioneſque faciendas, & cætera
" Italici exercitus miniſteria uti cogitabat,

" bat, ne italus miles distraheretur in
" prælio.

" Et hæ quidem TERRESTRES co-
" piæ. NAVALES autem longæ qui-
" dem ad plenum instructæ sexcentæ,
" quarum centum habebant socios na-
" vales Romani generis, quæ præstan-
" tissimæ videbantur.

Vides legiones ex solis italicis militibus conflatas æstumari, at gallici, Macedonici, Parthici in auxiliarium censum veniunt, neque ad eam diem ulli *legioni* nomen ab *numero* diversum obvenerat.

Universim erant sæculo V.C. octavo nascente legiones peditum italici generis una & viginti, præter trecentos circiter equites singulis legionibus additos, & auxiliarium copiarum non minor numerus.

Augusti ævo, ut narrat Dio Cassius (qui sub Alexandro Mammææ scribebat adolescente sæculo tertio Christiano) tres & viginti legiones aut ut alii ajebant, quinque & viginti alebantur. Lib. LV. ex quibus suo ævo, id est tertio sæculo Christiano novendecim modo supersunt, quas & una cum *numerali nota*, & *adjunctis honorariis Titulis* ibidem recitat: reliquarum legionum aliæ prorsus extinctæ, aliæ aliis quibus-

dam

dam vel ab ipſo Auguſto, vel à ſecutis imperatoribus ſunt permixtæ, unde & GEMINÆ cognomen ſolemne habebant.

Tiberii ævo, ejuſque imperii anno nono æræ Dionyſianæ noſtræ XXIII, quot legiones fuerint, quas Provincias tutarentur, Tacitus ANN. IIII. pag. 102. enumerat.

Juxta Rhenum octo legiones commune in Germanos & Gallos ſubſidium.

Hiſpaniæ III. legionibus habebantur cæteræ Africæ extra Mauritaniam. II. legiones.

Ægyptus. II. legion.

ab Suna ad Euphratem III. legiones,

in Pannonia duæ legiones.

in Mæſia duæ leg.

apud Dalmatiam duæ leg.

Romæ Tres urbanæ, novem Prætoriæ cohortes.

Tantundem ferè auxiliarium legionum erat. Si igitur ſummam ſubduco, Tiberius numerabat XXV. legiones Italici generis, & XII. cohortes, dilectas ex Etruria, Umbria, Vetere Latio, & colonis antiquis.

At in Capitolino Cippo ab Grutero repræſentato enumerantur legiones XXX, in Maffæo Cippo Romano XXIII. apud eundem Gruterum ead. pag. igitur huic nu-

numero complendo addendus erit Urbanus, Prætorius, Veteranus, vel Classiarius miles, qui in mari, Danubio, Rheno classes tuebatur, ut ad numerum xxx. vel xxxv. legionum deveniatur, nisi malis dicere his cippis enumerari legiones, quotquot primis tribus sæculis Xtianæ æræ extiterunt.

At si inspiciamus agrum Ubiorum, vel Moguntinum, effodimus indies lateres, imbrices coctos, quibus inustæ hæ notæ.

LEG. XXX. P R P F.
LEG. XXII. C V.
LEG. XXX.
LEG. VI. D F.
L. V. L F.

Quas Gruterus pp. DXIV, DXV, omisit, certum ut sit xxx. legiones extitisse, his tribus sæculis, & ante medium tertium sæculum, ad quod refero utramque columellam Romanam, & Viennensem pag. DXIII. Gruteri.

§. 12.

Quando accessere honoraria nomina legionibus.

A*Lteri quæstioni* quando honoraria nomina numeralibus addita fuerint, à Dione Lib. LV. ex parte respondetur.

Nero PRIMAM ITALICAM dictam scripsit, quæ in Mysia inferiore hibernat. fuêre autem tres ITALICÆ, utique ἀντονομαστικῶς dictæ. Cùm

 legio-

legiones omnes Italici sanguinis essent citra auxiliares legiones, quæ fortè post in censum legitimarum legionum Romanarum venerunt; quando hæ Provinciæ Romano Imperio insitæ veluti corporis unius membræ censebantur. Non explicat autem Dio, cur II. & III. ITALICÆ nomen datum aut relictum præ aliis!

Sanè Legio *Italica*, cujus Centurio erat Cornelius Cæsareæ Palestinæ à B. Petro baptizatus. Act. x. 1. longè antecedit Neronis imperium imò ætatem virilem: id factum enim ad annum. V.C. LXXXVIII. æræ Dionys. 35. uti patet in Chronotaxi: *Historiæ Apostol. anno proximo edita*, igitur & legio *Italica* extitit ante Neronem, quæ forte olim II. aut III. ἁπλῶς dicta fuerit.

Pergo Dionem legere. *Galba* PRIMAM ADJUTRICEM *quæ in Pannonia inferiore, & septimam, quæ in Hispania*. Vespasianus SECUNDAM ADJUTRICEM, *quæ in Pannonia inferiore*. Septimæ adjutricis nulla mentio in tribus cippis. *Vespasianus item quartam FLAVIAM in Syria*. Cippus addit huic IV. & XVI. Flaviam.

§. XIII.

Minervia quando audiit Legio prima.

D*Omitianus primam Minerviam, quæ in Germania inferiore.*

Hic jam Dio faciem nobis præfert, ut lapidis nostri ætatem æstimemus. Nam hinc conficitur ante Domitianum non fuisse hunc, nec cippos Romanos

nos ſculptos. Errat igitur *Alexander*, qui Lib. 1. *Dier. Geni.* cap. v. ab Hadriano Minerviam vocitatam vult, nec id dicit Spartianus, in vita Hadriani, ut *Tiraquellus*, *Alexandri Commentator in annotatis* ad hunc L. *dicit*; ſed hoc duntaxat: ſecundâ expeditione Dacica Trajanus eum (Hadrianum) primæ legioni Minerviæ præpoſuit:

Rectè hic Lipſius corrigit in *Analectis ad militiam* Alexandrum latinum Dionis interpretem, qui τὸ Ἀθηναῖον ϛρατόπεδον vertit *primam Athenienſem*; quamvis enim græca vox æquipolleat, *civis Athenienſis*, & *Minervii* ſignificatui, attamen ex aliis autoribus conſtat legionem hanc non niſi *Minerviam* latinâ phraſi dicendam fuiſſe. Pari jure Tiraquellus emendat Alexandrum l. cit. ſcribentem *Otho præcipuæ Legioni* Auxiliatricis *nomen dedit*. Licet enim ſenſus idem *adjutricis*, qui *auxiliatricis*, non tamen iſthoc, ſed illo titulo Otho Legionem cognominavit, quod ex *Tacito*, & *Lapidibus ævi Romani* didicimus. Similis error fuit interpretis Plutarchi in vita Othonis, qui *auxiliatricem* vertit, & forte Alexandrum ab Alexandro in ſimile mendum pellexit; poterat addere *primæ* non *præcipuæ*, Scribendum fuiſſe.

Cæterorum titulorum natales, quos Dio non prodidit, lege ſis apud Alexand. ab Alexandro & Tiraquellum adnotatorem ex Cæſare, Livio, Floro, Val. Max, Suetonio, Tacito, Vellejo, Plinio, Cicerone, & Codicibus legum ſupplentem Originem vocum. MARTIAE, JULIAE, GALBIAE, ALAUDAE, RAPACIS, VERNACULAE, CLAU-

 DIA-

DIANÆ. FELICIS. CLASSICÆ, ut ne credas omnia cippis Romanis vel Viennensibus circumscribi, sed hos ex scriptoribus Romanis, contra scriptores sæpe ex marmoribus illustrari, corrigi, suppleri, augeri, compleri.

§. XIV.

Unde Minervia dicta?

CAusa autem honorificæ compellationis ex Suetonio haurienda est in vita Domitiani " Certabant etiam & prosa oratione Græcè Latinéque, ac præter citharoedos chorcitaristæ quoque psilocitharistæ. In stadio verò cursu etiam virginum certamini presedit crepidatus, purpureaque amictus togâ græcanicâ, capite gestans coronam auream cum effigie Iovis ac Iunonis MINERVÆQUE, assidentibus Diali Sacerdote & Collegio Flavialium pari habitu, nisi quod illorum coronis inerat & ipsius imago: celebrabat & in Albano quotannis Quinquatria MINERVAE, cui collegium instituerat, ex quo sorte electi magisterio fungerentur redderentque eximias venationes & scenicos luctos, superque oratorum ac poetarum certamina.

Torrentius in hunc locum commentatur.

" MINERVAM, cujus etiam filius dici ac credi voluit, omniaque ejus consilio agere, præcipua veneratione Domitianus semper coluit: quod non solum ejus ætatis historici sed & Quintilia-

" tilianus, Philoſtratus atteſtantur, nummi præte-
" rea plurimi, Deæ effigiem præferentes. Quare
" in Albano monte non ſolum Quinquatria annis
" ſingulis celebravit, ſed & Collegium inſtituit;
" Quod inſigniter deſcribit Juvenalis ſat. 11. tam
" liber & verax atque ubique ſui ſimilis, quàm
" contra vani ac futiles Papinius & Martialis qua-
" vis occaſione turpiſſimè adulantes.

Nil mirum igitur ex eodem Domitiani erga Minervam religioſo vel ſuperſtitioſo zelo legioni nomen MINERVIAE & cum nomine inſigne aut imaginem Dei, pilis haſtis, ſcutis, vexillis, inſculptam, appictam, affuſam fuiſſe. Hinc Natales Tituli MINERVII diſcimus.

§. XV.

P. F. Unde & quando nuncupata noſtra legio.

EAdem legio MINERVIA progreſſu temporum & meritorum erga Principem accepit incrementa titulorum, nam multi lapides, quos §. ſequenti deſcribam, eam P. F. id eſt Piam Felicem, uti vult Harduinus Hiſtoriæ auguſtæ *pag. 849. edit. amſtelod.* explicans nummos Valeriani & Galleni.

Idem vult hæc nomina non ſignificare *virtutes* militum, puta; Pietatem, Fidelitatem, Felicitatem: ſed Principes PIOS, qui ſuum nomen Legionibus iis tribuêre: Hinc definit ante Antoninum Marcum PIUM ante Antoninum Commodum FELICEM nullam Legionem ſibi hos titulos vindicâſſe: at con-

cessu, indulgentiâ & autoritate Augustorum horum hoc Deus accessit Legioni *sextæ & septimæ*: quia hæ fuere à Marco PIO restitutæ, à Commodo Felice auctæ: Hinc & in Lapidibus & nummis hæ nuncupationes honorariæ. Nummos loco laudato Harduinus hos profert. In Nummo Gallieni: LEG. I. ADI. VI. P VI F. Lege: *Legio prima adjutrix sexta Pia sexta Fidelis*: in alio Gallieni: LEGII-PARVIPVIF. *Legio secunda Partica, sexta Pia, sexta Felix.* In alio ejusdem Augusti: LEG. III. ITAL VII P VII F *Legio tertia Italica septima Pia septima Felix*, LEG IIII FLVIPVIF *Legio quarta flavia sexta Pia sexta Felix.* LEGXGEM. VI P VIF. *Legio decima gemina sexta Pia sexta felix.* Eadem Encomia sextæ Felicis sextæ Piæ attributa fuisse Legionibus IIXX. XX. XXII. XXX. prolatis Gallieni nummis vir eruditus ostendit. Vult & hinc probari suas Genealogias Augustorum ex solis nummis fabricatas: & vel hinc conficit Gallienum ex sanguine Marci & Commodi descendere, quia PIUS FELIX salutatus fuit:

Contra Ianus Gruterus has notas P. F. interpretatur PIA, FIDELIS. quando de Legionibus sermo est & Lapides permulti testantur plena scriptione utrasque voces PIA FIDELIS initiales Litteras P. F. interpretandas esse, atque à singulari pietate ac fide erga Patriam vel Ducem vel Augustum sic compellatas fuisse.

Nec tamen inficior magna verisimilitudine fulciri explicationem Harduini: præsertim cum ante Marcum, ante Commodum nulla Legio reperiatur insignita titulo PIAE, FELICIS. clarissimus Eckhar-

hartius Tom. I. *Comment: Rerum Francicarum* L. I. pag. 10. Legionem VIII. ſub Auguſtis Maurelio Antonino Pio & Lucio vero „ Cognominata „fuiſſe *Antoninianam* ob res bene geſtas in Alemannos. Eandem circa Annum Chriſti CLXXIX. dictam „*Piam*, *Fidelem*, *Conſtantem*, *Commodam*: quod „diſertè corroboratur Ex lapide Gruteri p. DLXXXV. „n. 8. Urbini reperto, & poſita C *Veſnio* tribuno „militum Leg. VIII. Aug. quo militante, cum li„berata eſſet Novia (Mœſiæ Urbs) Obſidione, *Le*„gio, Pia, Fidelis, Conſtans, Commoda cog„nominata; & ipſe (C Veſnius) ut devotiſſimus „Imp. Commodo, Pio, Felici, objecto honore Quæſtor deſignatus eſt. *Hæc Lapis Urbini.*

Hinc nobis id commodi naſcitur, ut propius ætatem noſtræ inſcriptionis circumſcribere poſſimus ex hoc fundamento-Legio I. Minervia nondum gerit in noſtro Lapide Herſellenſi Encomium Piæ felicis vel fidelis quam tamen frequenter aſciſcit in aliis Lapidibus: igitur noſter Lapis eſt Domitiano poſterior, & prior Marco Antonino: nam ſi ſub hoc fuiſſet ſculptus, acceſſiſſet Elogium P.F. quod in poſterioris ævi nummis & ſaxis gerit.

§. XVI.

Ad Officiales Legionis I. M. enumerandos tranſitur.

HI Tituli *Legionis primæ Minerviæ Piæ felicis* vel *fidelis* inſtar atrii nobis fuerunt; quod, quia diligenter luſtravimus, & ſpectandum præbuimus Popularibus antiquitatum Patriarum curioſis, intro-

troducendi nunc sunt in ipsam Legionem, singulaque ejus membra contemplanda. Fuit enim adeò celebris, ut singulorum pæne officialium imò & multorum Militum Epigrahæ marmoreæ supersint. Enarro eos Duce Lipsio hoc ordine; & utcunque nostra dialecto Germanica ea reddere conabor. Tribunus Legionis Obrister eines Regiments: Legatus: General Adjutant vel General Lieutenant, Centurio Cohortis ein Hauptman über eine Compagnie. Optio Hauptmans Lieutenant, Succenturio, Accensus Vexillifer Fähndrich. Polybio Uragus.
Imaginifer
Primopilus ein Caporal
Miles Legionarius. Ein Römischer Soldat zufus
Veteranus außgedienter Soldat.

Legio ein Regiment von 6000. Römischer Soldaten zu Fuß und drey hundert Reuter.

§. XVII.

TRIBUNI Leg. I. Minerv.

INspiciamus nunc hos in Saxis antiquis superstites. Tribunum lego nostræ Legionis in Saxo, quod Arnoldus Mercator apud Canonicum S. Gereonis Coloniæ extans descriptum misit Iano Grutero cujus pag. DLXXI. hic redhibeo. Clarissimus Steph. Broelmann in Epideigmate Tabella 11. n. 26. eundem plenius & paulo aliter delineari fecit.

D M
AVDIO SATVRNINO
T. LEG I PRMIN I
B

Lege

Lege DIIS manibus. Claudio Saturnino Tribuno Legionis primæ Primigeniæ Minerviæ.

Alius Tribunus Legionis Minerviæ legendus prostat in Lapid. Narbonensi descripto à Grutero pag. CCCXLVIII. n. 1.

L. AEMILIO. L. F. PAP. ARCANO
TRIB. MIL. LEG. XI. GEM. ET TRIB
MIL. LEG. I. MINERV
ADLECTO. IN. AMPLISSIMVM
ORDINEM AB IMP CAES.
HADRIANO. AVG. &c.

Dixeram §. X. *ex Tacito* Legionarios nullos fuisse nisi Italici generis ac sanguinis: sed ampliandus est mihi Tacitus: neque tantùm sanguinis sed Juris Italici virum ajo idoneum Tribunum Legionis Romanæ: nisi malis hunc *Agrippin.* Tribunum fuisse ortu & sanguine Romanum, natu civem Coloniæ *Agrippin.* ? demonstro id ex Saxo elegantissimo in atrio armamentarii nostratis bona fortunâ adservato, alto pedes 5 lato pedem unum, VII. uncias.

L N A S I D I E
N V S A G R I P P
T R I B V N V S
L E G XIIII. G E M

Vel hic unus Lapis docet te Agrippinenses in Germania *Juris Italici* esse, & eorum Magistratuum

tium capaces, qui non nisi italis deferebantur, etsi non extaret L. *De Censibus* D.

§. XVIII.

Legati Legionis Minerviæ.

LEgatos Legionis Minerviæ multi lapides loquuntur apud Janum Gruterum p. ccccxxx. n. 5. in fragmento Baseos: rursum p. ccccLVIII. n. 2. M. Pontius inter plurimas præfecturas recensitas salutatur. GOMES ANTONINI AUGUSTI GFRMANICI SARMATICI. LFG LEGIMINER. id est legatus Legionis primæ Minerviæ.

Splendidior est inscriptio beneventana relata à Grutero ad pag. ccccxxxvi. n. 7. quæ urbis nostræ memoriam illustrat. Transcripserat eandem Lipsius ad L. XII. Taciti *Annalium* pag. 194. & ex eo Ægelen. *de col. Agr. mag.* pag. 16. & 30. mutilatum.

MMARIOMF
STELTITIORUFINO
COS
LEGLEGIMINERPF
CVRCOLCLAVDAVG
AGRIPPINENSIVM
PROCOSPROVSICILIAE
CVRAMERINORPRAET
TRPLQPROVMACEDON
SEVIRTVMAREQROM
TRIBLATICLLEGIADIPF
IIIIVIROSTLITIBIVDIC

Fl-

FIDESCVMHELLADEET
TERTIOPARENTIBMFEC.

Lege ſodes illuſtre trium Liberorum Fidei, Helladis, Tertii ergà parentem benemerentem elogium: Marco Mario Marci filio, Stellato Titio Rufino, conſuli legato legionis primæ Minerviæ piæ felicis, curatori Coloniæ Claudiæ Auguſtæ Agrippinenſium, Proconſuli Provinciæ Siciliæ &c. admirare, quæ & quanta decora, ſpartæ, & officia in hunc virum confluxerint!

Quartum legatum legionis hujus debemus Ecclefia Collegiatæ Dickirchenſi prope Bonnam: unde Crombachius eum in annales M. S. Coloniæ retulit:

APOLLINILIVICI
CNCORNELIVs
AQVILIVSNIGER
LEGLEGIMPF
ITEMPROCONS
PROVINCIAEGAL
LIAENARBONENSISIT
SODALISHADRIANI

Lego Apollini legionis victricis indigeti (Deo) Cneus Cornelius Aquilius niger legatus legionis primæ Minerviæ piæ felicis item proconſul Provinciæ Galliæ Narbonenſis item Sodalis Hadriani.

§. XIX.

Centuriones legionis Minerviæ.

POſt legatum collocaveramus centurionem: & hos exhibet noſter Herſellenſis lapis; & ſimilem

lem conjicio in lapide Bracarensi à Grutero recuso p. MCI. n. 3. Eundem sisto hic.

L TERENTIO
M F Q VIR R V F -
PRAEF COH VI BRITTON
Ↄ LEGI M P F D O N D O N A T
IMP TRAIANO BEL D A C
P P LEG X V APOLL
-
TRIB. COH II V I C
DD

Legamus, Lucio Terentio, Marci filio, Quiriti, Rufo præfecto cohorti sextæ Brittonum centurio legionis primæ Minerviæ piæ felicis donariis donatus ab Imperatore Trajano Bello Dacico propraetori legionis X V. apollineæ Tribunus cohortis secundæ vicanorum dicat dedicat.

Verùm heus! si P. F. expono piam felicem: igitur ante Autoninos sub Trajano jam Legio Minervia audiebat Pia felix? quod tamen Harduinus & ego eundem sequutus §. XIV. inficiabar. an fors hic lapis Terentio, qui sub Trajano militabat, serius dicatus fuit ab Tribuno, qui sub Antoninis vixit: & sui ævi nomina retulit ad Trajani ætatem, cùm nonnisi, Minervia audiret? an P. F. referendum ad sequens comma *Præmiis frumento, donariis donatus? an lapis rite descriptus est?* adhuc enim placent §. XIV. stabilita, nec hoc lapide dimo veor à sententia.

§. XIX.

§. XX.

Optio Minervia.

SErvavit nobis OPTIONEM & PROCVRATOREM DVCENARIORVM lapis Valentinus apud Gruterum pag. DLVI. n. 7.

D M
ET
MEMORIAEAETER
PETRONICASTIVET
MISSI HONESTA
MISSIONEEXLEG
PRIMMINEREXOPTIO
NEPROCDVCENAR
ETVITALINIAEFLORAE
CONIVGIEIVS
VIVISIBIPONEND
CVRAVERETSVB
ASCIADEDICAVE
RVNT.

Legatur. Diis manibus & memoriæ æternæ Petronii casti veterani missi honesta missione ex legione prima Minervia, ex Optione Procuratoris Ducenariorum *vel Ducenarii cohortis vel manipuli*, & Vitaliniæ floræ Conjugi ejus vivi sibi ponendum curaverunt, & sub ascia dedicarunt.

Habes hic primo veteranum nostræ legionis Minerviæ adeoque XX. annorum stipendia meritum, dein missum honestâ missione (id est tali, quæ emeritis stipendiis dabatur) cui opponitur missio

cau-

caussaria, Lipſ: de militia Romana L. V. Dialogo XIX. quum ante emerita ſtipendia dimitteretur miles vel ex gratia vel ob vitium; cum quis manu oculis pede mutilatus inutilis legioni evaſiſſet; vel ob delictum: & hæc quarta ignominioſa miſſio ſecunda gratioſa, tertia juſta utraque ſæpe *honeſta* dicebatur, puta ubi vera cauſa miſſionis ſuberat. Equi generis exemplum luculentum præbet tumba lapidea exquiſito opere ſculpta intra armamentarium urbis noſtræ illata, effoſſa ſubter ipſa mœnia haud procul porta apiaria. Die Beyen Pfort.

CSEVERINIOVITEALIVETERANO

HONESTEMISSIONISEXB.FCOS
LEG XXX.V.V.SEVERINIA SEVERINA
FILIAPATRIKARISSIMO ADSEREN
TEVITALINIO HILARIONELIBERTO
F A C I V N D V M C V R A V I T.

Plurima ſuperſunt in hoc monumento nobiliſſimo eruderanda: ſed ego propoſiti metas non exibo. *Lego*: Cajo Severinio. Viteali veterano honeſtæ miſſionis ex beneficio conſulis legionis trigeſimæ Vlpiæ Victricis &c.

§. XXI.

Signifer legionis Minerviæ.

REdeamus in viam & ab milite ſurſum revertamur ad ſigniferum noſtræ legionis: is accep-

tus referendus arcui triumphali Arausionensi unde Gruterus eum descripsit pag. DLXI. n. 10.

D SEXTIO VICTORI
LEGIONIS MINERVIAE
SIGNIFERO T TITSILIUS
HOSPES

Signum Romanis vel aquila hastæ puræ imposita utroque pede aut altero hastam premens alterâ fulmen torquens. Ante Marium & post Trajanum alia animantium genera hastis præfixa gestabantur, sed Aquila sacrum Romanis signum fuit; & quidem singulæ Legionis una: qui ante eam & post collocabantur antesignani & postsignani dicebantur signa in media Legione. Hinc ex aquilis Legiones numerabant Scriptores Romani. Hirtius *de Bello Hispanico: erat Pompeji acies tredecim Aquilis constituta*, id est tredecim Legionibus. Lucanus lib. I.

Ut notæ fulsere aquilæ Romanaque signa, deinde sua manipulis signa, de quibus Lipsius Lib. IV. Dial III. & V.

§. XXII.

Imaginifer Legionis Minerviæ.

Lapis Lugdunensis in Cœmeterio s. Irenæi à Grutero descriptus p. DLXII. n. 1. restituit nobis imaginiferum nostræ Legionis.

ET MEMORIAE AETERNAE
SOLEMNIO FIDO MILIT LEG
MINERVIAE IMAGINIFERO
(D) (M)
MATVRINIA VICTVRINA CON
IVGI CARISSIMO PONENDVM
CVRAVIT ET SVB ASCIA DEDICA

Præ-

Præter signiferos erant imaginiferi, qui hastis puris affixas Imagines orbiculatas ex auro argento aliove ære aut ligno gestabant. Eæ imagines erant primo Deorum Dearumve ; Nostræ imaginifer absdubie Minervæ & quidem sagatæ imaginem tulit; Dein Augustorum Cæsarum imo & Ducum suorum imagines pictas sculptas fusas & hastis appensas gestare amabat Miles Romanus ; Nec in Lapidibus solum sed & in nummis tum signatum imagines Legionum visuntur non tantum Constantiniano sæculo frequentissimæ sed tribus antecedentibus, de quibus Spanheimius Mediobarbus Vaillantius Harduinus. Ex historia Romana quidquid huc facit, collegit Lipsius loco laudato.

Tertulliani de imaginiferis Christianis.

DUm hæc scribo, incido in Tertulliani librum *de corona militis*, cujus scopus est, ut doceat Christiano nefas & esse in castris Romanorum militare. id variis ex causis ostendere satagit, quarum una est: - C LX. *Vexillum quoque portabit æmulum Chrsti* ? puta Deæ Minervæ imaginem ; Christo vero Deo oppositam & ideo Christiano execrandam : *& signum postulabit à Principe, qui jam à Deo accepit ?* signum intelligo vel aquilam Jovis, hastæ præfixam, & legioni prælatam vel tesseram militatem ab Imperatore datam, quæ sæpe fuerit Dei Deæve cujuspiam nomen, cujus nomine victoriam vel consequendam sperabat vel acceptam ferebat : Rectius verò eatenus Christiano militiam illicitam pronuntiat Afer, quatenus cum ido-

idololatria aliquid commune habet uti ipſtus ſententiam ſuam moderatur Tertullianus *L. de idololatria C.* XIX. unde aut nulli aut rari Chriſtiani videantur fuiſſe milites Romani. Contra Illuſtriſſimus Ægid. Gelenius. *L. 1. Colonienſ. A. mag.* Syntagmate V. opinatur Legiones Romanas Primam, Vndevicesſimam, & duodetrigeſimam (quam & Divitenſem, Gallicanam, Fulminatricem victricem cognominatam aſſerit) Beati Materni operâ Chriſto acceſſiſſe. Fulminatricis autem Titulum poſt acceſſiſſe in expeditione contra Quados & Marocomannos ſub M. Aurelio, quando CHRISTIANORVM MILITVM orationibus ad Deum factis Imber ſitienti exercitui impetratus fuit, quod Tertullianus Libro *ad ſcapulam* Provinciæ Africæ præſidem C.IV. narrat, id eâ moderatione aſſeverat GELENIVS, itidem ut meminerit & ante eum diem & aliis legionibus non Chriſtianis Fulminatricis titulum indultum fuiſſe: id probat Valerii Flacci carmine & ego apud Gruterum lego pag. CXCIII. inſcriptione numero ſecundo relatâ: idem probat Hermannus Witſius Diatribe vulgatâ amſtelædami anno CI ƆCC LXXXIII. *De legione fulminatrice Chriſtianorum ſub Imperatore Marco Aurelio Antonino*, ſed ex eo quod alia legio & ante annum Chriſti 174tum, Marci Aurelii decimum quartum, fuerit nuncupata fulminatrix, non ſequitur legionem XXIIX. non fuiſſe appellatam fulminatricem, ob pluviam im-

petratam, & victoriam post secutam: uti Pagius contendit ex Witsio ad. h. a. *in critica Baronii.* Nam diversis legionibus ex diversis causis & victoriis eundem Titulum *Fulminatricis* accessisse nihil miri est, & verisimile uti liquet ex Titulis *Augusta, Victricis*, qui vario tempore legionibus variis tributi fuerunt.

Igitur vel ipse Tertullianus fatetur suo ævo extitisse Christianos milites in legionibus Romanis. Ego dico eosdem & aquilam & Minervia insignia, & coronas Triumphales gestare sine idololatria potuisse, etsi Romani ea idololatrico spiritu gestarent & ambirent. Quod autem Tertullianus *L. de corona milit.* vult gestationem coronæ Laureæ aut floreæ aut triumphalis esse *Peccatum contra legem naturæ, esse elogium sacrilegii in Deum naturæ Dominum & autorem*, hyperbole est. Corona, aquila, imago signum Minervæ sunt signa honoris, sunt signa, quibus legio una ab ab alia discriminatur utantur alio fine alia intentione his Signis Romani idololatræ, non ideo mutatur signi natura & finis primævus.

Quare tutâ conscientiâ militare sub signis Romanis Christianus potuit. Dum ab eo nulla idololatria poscatur, uti potuit idolothyta comedere famis causâ, quæ religionis ergo devorabant Ethnici, & hoc esu se sanctificari somniabant. Consule c. XIIII. Epist. *ad Romanos*: sanè Ioannes Baptista militiâ non interdixit Iudæis Romanisve militibus Luc. III. 14. & Cornelius Centurio Romanus baptizari à Petro Apostolo, non verò militiam deserere jussus fuit. Act. Apost. X. 48.

§. XXI.

§. XXI.

Miles legionis Minervia.

AB Ducibus & officialibus ad milites descendamus; lapis in Urbach repertus & dein ex Dierdorff translatus in castrum Blanckenheimiensium Comitum a Crombachio describitur hic nobis in historia MS nostræ Metropoleos.

L. STERTINI
IOL. F. VOL. F.
VET. EX. LEG. I.
H. SE. H. EX. T. F. C.

Lege: Lucio Stertinio Lucii filio Volo filius veteranus ex legione prima hoc sepulcrum heic ex Testamento fieri curavit,

Non audet Crombach definire hic Stertinius an idem sit Stertinio illi, qui legatus Germanici Cæsaris fuit à Tacito laudatus. Addendus hic lapis *figura 2da* depictus C. CAMPANIVS VICTOR qui DEABVS GAGIABVS indigetibus nostris monumentum posuit, à C. BROELMANNO Tabellâ 3. nu. 35. delineatus. sed *Legatus* an *miles* fuerit legionis nostræ Minerviæ; haud facile diiudicavero: cùm temporum injuria illustre hoc avitæ militiæ mnemosynon mutilaverit.

Alium veteranum Minerviæ legionis dabit lapis Augustodunensis, descriptus à Grutero pag. MCVI, n. 1.

D. M.
G AEMILI
VICTORIS
VETERANI
LEG I M P
E HAEREDES
POSVERV
NT.

Lege sis. Diis Manibus Gaii Æmilii Victoris veterani Legionis primæ Minerviæ Piæ Fidelis Hæredes posuerunt : nempe hanc Aram. E. in sext versiculo corrigo F. & facilis lapsus fuit in Affin bus elementis describendis.

§. XXII.

Statio Legionis I.

POst lustratos Legionis nostræ Duces & Milit inquiramus Locum eidem assignatum. Era enim Legiones veluti tutores Potestatis Augustæ Imperii Romani, quarum fidei & robori salus quies publica incumbebat. Hinc ab Augustis vel Sena dividebantur in provincias, quarum tutela iisdem com mittebatur, atqui Minerviæ nostra Statio manifes est tum ex Dione §. XII. laudato, qui in GERMA NIA INFERIORE eandem collocatam affirm tum sub Domitiani tum suo ævo, tum ex tot S xis in Provincia nostra effossis, quæ loquunt eandem Legionem apud nos resedisse : inter qu

He

Herſellenſe merito chorum ducat, ut ut mutilatum. Simili argumento Clariſſimus ab Eckhart *in Rerum Francicarum Lib. I. §. XI.* demonſtrat Legionem VIII. quæ & Auguſta & Antoniana & Pia & Felix ſubinde dicta fuit, Stationem in Hermunduris habuiſſe, usque ad Annum Chriſti CCLXXII. ob Lapides plurimos in eo agro effoſſos, qui Legionis VIIIæ varias perſonas oſtendunt.

Sed juvat idem ex Tacito diligenti & accurato ſcriptore intelligamus. Hic L. I. Hiſtor ad A. C. LXIX. Urbis conditæ DCCCXXII. Othonis & Galbæ cædibus funeſtatum, narrat Aulum Vitellium inferiorem Germaniam ingreſſum: extitiſſe tum in ea primam Legionem (nondum enim ad eam diem *Minerviæ* nomen conſecutam) quartam; duodevicesimam, duo & viceſimam. Legatos hos recitat: Hordeonium Flaccum Conſularem Legatum, Fabium Valentem, Alienum Cæcinam, IVLium Burdonem egiſſe Præfectum claſſis GermanicæRheno impoſitæ. Et Valenti quidem inferioris exercitus electos cum Aquila quintæ Legionis, & cohortibus, Alisque ad XL. armatorum millia datos fuiſſe! Sub Tiberio Cæſare Quæſtorem & Legatum Legionis quintæ in Germaniæ ſiſtit tibi Lapis deſcriptus à Lipſio ad Taciti Annalium Librum IIII. pag. 116.

Cæcinam veró è ſuperiore Germania duxiſſe XXX. Millia, quorum robur Legio una, prima & viceſima fuit: Addamus Germanorum & Agrippinenſium aliorumque ſociorum auxilia, quæ eodem Tacito aſſeverante numero paria erant, & metiamur Provinciæ noſtræ amplitudinem primo Sæculo Chriſtiano: Longitudo ejus maxima à Caſtris veteri-

bus (Santen) Antonacum usque (Andernach)-Latitudo ab Sicambrorum usque ad Tungrorum Oppidum: in ea tamen Legiones quatuor Romanæ, quæ minimum 24000. Peditum; 1200. Equitum complectebantur) præter auxiliares & Agrippinenses milites residebant, alebantur; adde ministeria &c. Adde impositam Rheno classem & Militem classiarium & admirare nostri agri ubertatem ac fœcunditatem, & nervum rei militaris.

§. XXIII.

Prætorium Castrorum in Colonia Agrippinens.

NEc defuit Legionibus & Castris suum intra Mœnia nostra Prætorium: id est Tabernaculum nobilius & amplius cæteris, editiore & munito Loco extructum, ubi Prætores (penes quos ab initio rei militaris administratio summa erat, post apud Consules, demum apud Augustos ac Cæsares) consistebant cum supremo Imperio. Eadem de causa Navis prætoria, Miles prætorius, & Porta primaria in castris prætoria audierunt. *Carol. D. Aquino S. I. in Lexico militari.* Memoriam nostri Prætorii ab interitu vindicavit Lapis sæculo superiore apud nos erutus, quem *Æg. Gelen. C. A. magnit.* pag. 83. refert & in Vico Burgensi in domo Zelandt haud procul in der Bürger-Strassen à superstite Francorum Regum prætoria Turri erutum & asservatum scripsit. Hunc à multis Annis cum frustra ibi inquisivissem, & amissum deplorarem, fortuito colloquio vicini civis disco in Vico Aquilino in ea domo sub

Mo-

Molendini Signo, auff dem Eigelstein im Mülgen, quæ ad Scholliam Gentem pertinet, extare Saxum litteris insculptis dives: accurro, describo, & accuratius edo monumentum, quod Dolio Heydelbergensi ego non commutavero, si optio fieret

D I S C O N S E R
V A T O R I B. Q T A R.
Q V I T I V S C A T V L.
V S L E G A V G C V I V
C V R A P R A E T O R
I V M I N R V I N A M.·.
N L A P S V M A D N O
V A M F A C I E M
R E S T I T V T V M

Ara est quadrilatera tota altitudo est 2. ped. 8½. unc.
Latitudo baseos 1½. ped.
Latitudo faciei adversæ 1. ped. 2. unc.

Lapis est obvius grisei coloris, qualem Drachenfelsia rupes in hanc horam copiosam sufficit:

Vetustas quatuor litteras attrivit: in secundo & tertio versiculo facile eas suppleo: sed in sexto post *Ruinam*. Nulla vestigia apparent fugientium litterarum uti tertio & quarto commate: ipse angulus detritus & exesus est unde suspicor deficere CO: quæ iunctæ sequenti versiculo faciant *Conlapsum*; nisi fors latine dicatur *inlapsum* & I in littera N. pro more comprehendatur:

Lego nunc inscriptionem.

DIIS conservatoribus; Quintus Tarquitius Catulus Legatus Augustalis (*supple hanc aram dedicat: consecrat*) cujus cura Prætorium in ruinam conlapsum ad novam faciem restitutum (*supple fuit*) Facies prætoriæ scenæ vel tentorii erat ferme rotunda & in testudinem desinens quod ex Varrone L. IV. de L. L. observat P. Aquino laudatus. Eadem templorum antiquorum forma ut ex nummis bene multis, & ex Pantheo Agrippæ constat.

Cujus Augusti Legatus fuerit hic Tarquitius; non habeo: Tarquitii nomen apud Gruterum frequens est in Inscriptionibus, sed *Catuli* postremum & characteristicum hujus personæ nomen illi adjunctum Gruterus non vidit.

§. XXIV.

PRÆSIDI

HIc versiculus commentandus superest: eum referri ad versiculum 4. & 5. ℣. cum eo conjungendum existimo, ut sit Præses idem Germaniæ inferioris & Hispaniæ citerioris, nisi malis cum Titulum hic repeti, qui jam supra tribus versiculis erasis eidem datus fuerit.

Præses verò significat eum, qui cum potestate ordinaria administrat civilia negotia Provinciæ, sive vice Augusti, sive nomine Senatûs Populique Romani: qui forum aperit Litibus dijudicandis, tribunal conscendit, lictores & apparitores, aut senos aut duodenos habet vindicandis delictis, quem contra distin-

gurn-

guendus Imperator: nos discriminamus **den Stadthalter von dem Commendant**, ille enim civili hic militari rei præsidet; cæterum hæc distinctio perpetua non fuit: nam aliquando penes Præsidem & civilis & militaris rei summa potestas erat.

Ante omnia hic statuendum; quæ Provinciæ præsidiales erant; quæ prætoriæ; quæ consulares: Nam vox Præsidis communi licet significatu polleat: ab Scriptoribus tamen historiæ Augustæ ex Usu Fori Romani certum discrimen intervenit, quod Alexand. ab Alexand. Dier. Genial. L. II. c. XXVII. & Carolus de Aquino in Lexico militari accuratè notaverant.

Augustus, qui Imperio Romano formam Politiæ dedit primus, idem Provincias se inter & populum Romanum partitus est, veluti umbram pristinæ potestatis ac libertatis reipublicæ relicturus. Eæ Provinciæ, quæ populi Romani erant, regebantur Proconsulibus vel proPrætoribus: eæ, quas Augustus sibi veluti patrimonium retinebat, regebantur modò viris consularibus modò prætoriis, qui inde appellabantur Legati consulares: modò præsidibus vel Procuraroribus, & hi ex ordine equestri delegebantur.

Iam Germaniam utramque fuisse in Augusti Cæsaris censu ostendimus supra §. I. Mirum igitur non est huic Provinciæ Præsidem impositum fuisse: & quia *Germania* utraque nunc *Celticæ* nunc *Gallicæ* veluti ampliori accensebatur, hinc præsidē gubernabatur, Syriæ præsid[illegible] cyrinium ἡγεμονεύοντα Lucas, II. 2. Refert.

Sic Iudææ Provinciæ Præsidem Pilatum ἡγεμόνα Matthæi XXVII. 2. 11. 15. ut ajunt Evangelistæ. Et Felicem ἡγεμόνα act. XXIII. 24. Præsidem Iudææ nuncupari lego: recte id vulgatus *procurante* vertit Nempe Syria veluti præcipua Provincia, utraque in Augusti Dominatu erant, non Senatûs.

Gallia ait Ruffus L. de Historia Romanorum *Aquitania, & Britannia Provinciæ decem & octo numerantur : ad quas PRAESIDES mittebantur,* quas Cæsar in Provinciæ formam redegit primus.

§. XXV.

Sanctissimo. Potestas & usus hujus vocis inter Romanos.

SANCTISSIMO. Præsidibus Provinciarum tributum fuisse docent duæ inscriptiones Gruteri, altera pag. ccccl. n. 6. quam Dousa e Græcia descriptam nobis vindicavit

PRAESIDEM SANCTISSIMUM

Altera pag. ccilxxv. n. 1.

PRAESIDI SANCTISSIMO
ET KARISSIMO.

Hubertus Goltzius in Thesauro rei antiquariæ Indice decimo describit : PRAESIDI SANCTISSIMO & CARissimo in quinta inscriptione videndus, tum idem Elogium sanctissimo Imperatori Augusto, Augustæ, Matronis, attributum ostendit ex variis Inscriptionibus.

Tri-

Triplex erat poteſtas vocis *Sanctus* ſæculo aureo Linguæ Latinæ, cujus exempla ex Autoribus optimis dabit Robertus Stephanus *in Theſauro.*

Primogenio ſignificatu Sanctum idem eſt quod ſancitum decretum; quo ſenſu Leges SANCTÆ propriè dicuntur.

Alterò, qui ex eo profectus eſt, ſignificatu dicitur id ſanctum, quod violari lædi infringi nefas, vetitum. Hoc ſenſu perſonæ, Loca, Res, variæ *ſancta* dicuntur.

Hac acceptione Numen vel Majeſtas Principum, perſonæ ſummæ Imperantum, Palatia Regum, Conſiſtoria, Tribunalia, Templa Mœnia appellantur *Sancta.*

Ultima ſignificatio *Sanctus* tantundem valet ac *innocens integer* Labis omnis:hinc præſertim Tribuni Judices puri ab omni ſiniſtro affectu, à munerum ambitu dicuntur *Sancti.* Hac poſtrema notione hic ſalutatur Præſes *Sanctiſſimus* à Centurionibus, à Milite, à Provincialibus, ab omnibus, quibus Jus dicebat.

§. XXVI.

ἐπίλογος.

HAbetis Populares optimi, meam de hac Inſcriptione interpretanda extemporaneam Conjecturam, cui ſcribendæ horulas aliquot gravioribus Studiis ſuffuratus ſum dolo bono.

Cupio enim vos horum monumentorum antiquæ Rei Romanæ & noſtræ Studioſiores, vel Cuſtodes, vel Inveſtigatores, vel Eruderatores, quàm fuiſtis hactenus,

nus, Lararium vel Ephestion Blanckenheimium plenum istiusmodi monumentis unicum superest, quod à Viris & Litteraria Re & Sanguine longe EXCELLENTISSIMIS erectum & conservatum debemus.

Ecce intra Mœnia nostra extiterunt ditissima Cimelia Lapidum, Urnarum, Nummorum, vasorum &c. ex nostro fundo erutorum apud Familias illustres Rinckiam Lyskirchiam Beyvvegiam, Brœlmanniam! ubi sunt ? eheu fuere ! pauca asservat atrium armamentarii : reliqua vel latent vel computrescunt, vel in Limina aut postes convertuntur : id ne deinceps fiat, imò ut extantes penes vos publico donetis, per Patriam quæ una omnes Caritates complectitur, carissimam, vos oro MDCC. XLV.



